Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

magno concussus pavimento prosternitur. Et iterum cum lacrimis orationem fundens surrexit incolumis. et accepta sensit abeundi licentie libertatem. Igitur arrepto itinere incandescente nimium sole siti corripitur. Veniens autem ad villam iuxta proximam unam casulam adit aquam deposcens de qua egrediens nunciis dare responsum ut eos vidit iterum corruit. factusque est sic mortuus. Concurrentes autem parentes eius taliter proclamabant homines, asserentes parentem suum eorum magicis artibus fuisse peremptum. et apprehensum puerum levaverunt eum semivivum. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis cepit debachando clamare et dicere, quod martiris Iuliani virtute exureretur. Clericus vero hec audiens positam super caput eius capsulam cum pignoribus sanctis fide plenus orare cepit attencius. Ipse quoque cum vomitu sanguinem demonium proiciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide portitorum, iter totum cum psalmis et graciarum actione carpens, ad locum propositum mente ducente pervenit. Iam exinde tempore procedente quanti ibi energumini frigoritici vel diversis morbis oppressi martiris virtute sanati sunt nec nomina retinere nec numerus potuit colligi.

Hec et reliqua insignia suscipiendorum miraculorum ponimus et illud quod insipientes corrigat et roboret sapientes. Igitur Cautini episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Arverna regio ab excidio luis quam inguinariam vocant devastabatur, ego Brivatensem vicum expecii scilicet ut qui meritis tutari nequibam beati martiris Iuliani salvarer presidio. In quo dum commorarer vico unus puer ex nostris ab hoc morbo corripitur. reclinatoque ad lectulum capite graviter agere cepit. Erat autem febris assidua cum stomachi pituita (turvita) ita ut si aliquid acciperet confestim reiceret. nec erat ei cibus confortatio sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent eum in extrema versari, ariolum quendam invocant. Ille vero venire non differens accessit ad egrotum. et artem suam exercere conatur, incantaciones inmurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit, promittit vivere quem ipse mancipaverat morti. Hec autem me nesciente agebantur. Que cum mihi delata fuissent amarissimo reddor dolori. et cum gravi suspirio illud commemoro quod dominus per Heliam prophetam Ochozie regi pronunciat dicens. quia dereliquisti dominum deum Israel et consuluisti deum Accaron, ideo de lectulo in quo ascendisti non consurges sed morte morieris. Nam iste post arioli adventum validioris febre accensus spiritum exalavit. Cuius post obitum interpositis paucis diebus puer alius simili laborare cepit incommodo. Tum ego eis dixi. Accedite ad martiris tumulum. et aliquid exinde ad egrotum deportate. et videbitis magnalia dei. atque cognoscetis quid sit inter iustum et iniustum. et inter timentem deum et non servientem illi. Accedentes autem parumper pulveris circa sepulchrum iacentis sustulerunt. de quo ut hausit infirmus cum aqua protinus assequitur medicinam. recuperatisque viribus ac restituta (restricta) febre convaluit. Intelligite ergo nunc omnes qui insipientes estis in populo. et postquam ista discusseritis scitote quia nichil est, que ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo, ut si quis vexillo crucis signatur, si quis baptismi ablutione mundatur, sique vetustate deposita in novo nunc homine viget, diabolica postponat ac negligat. Querat autem patrocinia martirum, per quos sanitatum miracula celebrantur, postulet adiutoria confessorum, qui merito amici sunt dominici nuncu-